

quæ semper et immobiliter habitabat cum vultu Dei, nec turbari poterat nec confundi. Dominus Deus, inquit, auxiliator meus; ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar (Isai. L, 7). In te enim, Domine, speravi, non confundar in æternum (Psal. xxx, 2). Confundantur potius illi, et non confundar ego; paveant, et non paveam ego (Jerem. xvii 18).

2. Si igitur, ut dicere cœperam, hodierna processio simul et passio considerentur, ibi plane videtur Jesus sublimis et gloriosus, hic humilis et ærumnosus. In processione namque cogitatur in honore regis; in passione spectatur in pœna latronis. Ibi circumdant eum gloria et honor; hic non est ei speciosus neque decor. Ibi gaudium hominum et gloria plebis; hic opprobrium hominum et abjectio plebis. Ibi acclamatur ei: Hosanna filio David, benedictus qui venit rex Israel (Matth. xxi, 9); hic inclamatur, reus mortis (Id. xxvi, 66); subsannaturque quod se fecerit regem Israel. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur; hic alapis palmarum in faciem cœditur, et arundine percutitur caput. Ibi præconiis sublimatur; hic saturatur opprobriis. Ibi certatim ei via sternitur vestimentis alienis; hic exiit propriis. Ibi tanquam rex justus et salvator suscipitur in Jerusalem; hic tanquam reus et seductor damnatus ejicitur de Jerusalem. Ibi sedet in asino stipatus obsequiis; hic pendet in ligno crucis cæsus flagellis, confossus plagis, et desertus a suis. Ecce plus quam Job hic, cui tam repente, tam vehementer omnia semel in contrarium Deus vertit. Sufferentiam Job audistis, finem Domini vidistis (Jacobi v, 11), ait Jacobus apostolus. Ac si diceret: Sufferentia Job fuit usque ad reditum substantiæ; sufferentia Domini usque ad exitum vitæ Job quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra sua duplicia suscepit; Christus ut erat repletus miseris, et inebriatus amaritudinibus, e mundo migravit. Itaque plus quam Job hic, qui de summa, ut putabatur, repente semelque dejectus felicitate, in extrema atque gravissima finem sortitus est calamitate. Et hæc, inquit, passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces (Job xvi, 18), etiam pro crucifixoribus, ut eis ignosceret.

3. An non igitur recte videbitur velut turbatus tanta tamque subita rerum mutatione Filius Patrem interpellare illa voce lacrymabili: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? (Matth. xxvii, 46.) Certe manus tuæ fecerunt me! in voluntate tua deduxisti me, et paulo ante cum gloria suscepisti me; et sic repente præcipitas me? Elevans allisisti me, quasi super ventum ponens me, et elidens valde. Exaltatus, humiliatus sum et confusus; et eo confusus amplius, quo tunc exaltatus sublimius, et nunc humiliatus profundius; quantoque tunc altius elevatus, tanto nunc gravius allisus. Justum quidem est, o Pater, ut qui se exaltat humilietur, et elatio indi-

gni digna dejectione puniatur; sed nunquid similiter justum erat ut, quem tu exaltaveras, ita confusibiliter humiliaretur, et gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? **991** Nunquid mihi, Pater, iratus fuisti, quod vel ad horam hic me passus sum honorari; et illud etiam perexiguum quod susceperam de bonis hujus mundi, exsolvendum erat ante mortem in pœnis et contumeliis, ne postea mihi posset objici: Fili, suscepisti bona in vita tua? (Luc. xvi, 25). At qui tuus erat honor, o Pater, honor erat Filii; quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Ecce exprobrant inimici tui, Domine, exprobrant commutationem Christi tui; ecce gloriantur in contumelia mea et tormento, qui paulo ante cruciabantur gloria et honore meo. Nunquid non respondebo exprobrantibus mihi verbum, ut sciant aliquando qua dispensatione commutaveris Christum tuum, quo consilio sic exaltaveris mox humiliandum, vel humiliaveris exaltatum?

4. Respondebis, o Domine Jesu, respondebis exprobrantibus tibi verbum, et verbum asperum, quando scilicet respondebit eis in facie arrogantia eorum, et arguet eos malitia eorum, videntes in quem transfixerunt. Cum enim videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate (Matth. xxiv, 30), tunc scient quod modo nolunt credere, quia illius posterioris gloriæ, prior hodiernæ processiois gloria, mysterium fuerit et figura; sicut passionis contumelia, meritum et causa. Tunc intelligent quia Christus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt positus est in offensionem et ruinam, sicut his qui salvi fiunt, in resurrectionem et doctrinam; quia quod sacramentum est redemptionis, simul est etiam documentum ædificationis. Sic enim postulabant merita superbiorum, ut eorum superbiæ et honor Christi fieret scandalum, et mors præcipitium; atque invidiam juste pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret. Cæterum his qui salvi fiunt, id est nobis, omnino erat necessarium ut Christus, transiens viam hujus mundi, sequentibus se viam sterneret, sicut per adversa, sic etiam per prospera; atque prius exaltatus, post humiliatus, suo traderet exemplo qualiter modestia servaretur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipse siquidem honorari potuit, inflari non potuit; voluit despici, sed nescivit aut pusillanimitate dejici, aut ira morderi. Sicut enim alias cum vellent eum rapere et facere regem, ipse refugiens, et in solitudinem ad orandum aufugiens (Joan. vi, 15), docuit exemplo quod dixit et verbo, ne scilicet velimus in sublime tolli; sic modo quadam alia dispensatione sese ad horam honorari patiens, et nihilominus solitam, quia inolitam, mansuetudinem in honore retinens, formam dabat his qui in potestate sunt constituti. Qui tamen ut discerent ea discretione per humilitatem esse mansueti, ut, cum res postularet, per zelum essent erecti, Dominus

statim in templum regressus, flagello facto de funiculis vindicat injurias Patris, magisque eligit furorem sacerdotum in necem suam provocare, quam templi profanationem dissimulare (Matth. xxi, 12, 13).

5. Ut igitur, fratres, inoffenso pede tam per prospera, quam per adversa sequamur duces nostrum, in processione consideremus eum in honore positum, in passione contumeliis et doloribus subditum; nunquam tamen in tanta mutatione rerum mente mutatum, etsi vultum immutaverit coram Abimelech, id est regno [al. rege] Judæorum, quam commutationem Christi cæcitas exprobrat perfidorum. De immutabili mentis illius statu dicit Scriptura: Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol; nam stultus ut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12). De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura: Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius immutabit (Eccli. viii, 1). Prorsus in vultu tuo, Domine Jesu, qualitercunque videatur immutatus, sive gloriosus sive inglorius appareat, lucet sapientia, de vultu tuo candor lucis æternæ radiat; utinam super nos lumen vultus tui, Domine, effulgeat! Vultus tuus sicut in tristibus, sic in lætis sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus; justis hilaris et jucundus, penitentibus clemens et pius. Intendite, fratres, in vultum serenissimi Regis. In hilaritate vultus regis vita, dicit Scriptura, et clementia ejus quasi imber serotinus (Prov. xvi, 15). Aspexit in Protoplastum, et mox animatus spiravit in vitam (Gen. i, 27); respexit Petrum, et mox compunctus respiravit ad veniam. Mox enim ut Dominus respexit Petrum, **995** Petrus de clementia piissimi vultus suscepit imbrem serotinum, lacrymas post peccatum (Luc. xxii, 61, 62). Lux vultus tui, o lumen æternum, teste Job, non cadit in terram (Job. xxv, 3). Quæ enim communicatio luci ad tenebras (II Cor. vi, 14)? Anima potius fidelium radios illius excipiant, aspiretque bene conscis lætitiæ, sauciis medicinam. Plane vultus triumphantis Jesu, qualis spectandus est in processione, lætitia et jubilo; vultus morientis, qualis cogitandus est in passione, medela et salus. Qui timent te, videbunt me, inquit, et letabuntur (Psal. cxviii, 74); qui dolent se, videbunt me, et sanabantur, sicut aspicientes in serpentem ligno suspensum post venena serpentium. Te igitur, gaudium et salus omnium, seu videant sedentem in asino, seu pendentem in ligno, vota benedicant omnium; ut, cum viderint regnantem in throno, laudent in sæcula sæculorum, cui laus et honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### SERMO IV.

Qualiter Christus benedicendus.

1. Hosanna filio David (Matth. xxi, 9). Vox exultationis et salutis, vox gaudii et pietatis, vox fidei et amoris, adgratulans adventui Redemptoris, atque prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiæ redemptionis. Hosanna filio David, ait hæc familia

PATROL. CLXXXV.

David; salus est illi qui factus est ex semine David, ut salvet eos qui sunt ex fide David. Laudate, laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini (Psal. xii, 1, 2); dicite: Sit nomen Domini benedictum (Job. i, 21), sit benedictus, qui venit in nomine Domini. Ex ore istorum perfecisti, o Pater, laudem Filii tui, ut incorrupto simplicis innocentie testimonio destruas inimicum et ultorem (Psal. viii, 3), pharisæum et pontificem; non ultorem divinæ legis, ut mentita est iniquitas sibi, sed invidiæ propriæ et furoris. Sed convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (Psal. vii, 17). Deus laudem meam ne tacueris, ait Filius Patri; quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est (Psal. cviii, 2). Nihil potest negare Pater Filio; non tacuit laudem Filii vox paterna sæpius audita de cœlo, non tacuerunt creaturæ in tot signis et prodigiis confitentes eum auctorem naturæ. Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo propheticus voce consona sibi invicem respondentes cecinerunt. Sed ista demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nescit adulari, et quod Spiritus suggerit, dissimulare non potest. Quid enim manifestius quam quod illa ætas a semetipsa, tam nova, tam insolita nec dicebat nec faciebat; sed Spiritus sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium Filio perhibebat?

2. Plane Spiritus sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret adventus, quid gaudii, quid salutis humano generi passio parturiret illius, præsa in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam mundo redemptionis lætitiæ, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, cum per prophetam suum dicebat quæ hodie per ipsum facta sunt, mandabat tunc, et nunc creata sunt. Exsulta, inquit, satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinum (Zach. ix, 9 et Matth. xxi, 5). Jam, inquit, exsulta satis, quæ hæcenus in tristitia fuisti; jam te satia, si tamen satiari potes, gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat ut amplius et felicius esurire faciat. Repleatur gaudio os tuum, et lingua tua exultatione; cui si nec os nec lingua possunt sufficere, supereffundat jubilus quod non capit affectus. Jubila, inquit, filia Jerusalem. Beatus enim populus qui scit jubilationem (Psal. lxxxviii, 16). Plane beatus populus qui scit et intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Salvator advenit promissus et expectatus ab initio sæculorum. Beatus populus qui tota alacritate devotionis hodie ei occurrit, corde simul et voce acclamans ei: Benedictus qui venit in nomine Domini (Matth. xxi, 9). In hoc siquidem benedictus est a Patre Filius, ut qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non una scilicet, **996** sed pluribus; quia nimirum benedictio quam Do-

mino quis feneratur, cum multiplici fenore redit in caput ejus. Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis! ad quos spectat illa Domini querela terribilis: *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam; omnes maledicunt mihi, dicit Dominus (Jerem. xv, 40, 41)*. Judaicus populus hic erat, qui in ratione dati et accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere Benedictum Dei Patris, ut benediceretur ab eo; sed Samaritanum, dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis (*Joan. viii, 48, 52, 53*). *Maledicent illi, inquit, et tu benedices (Psal. cviii, 28)*; nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite, gentes, Deum nostrum, quoniam qui prior feneravit vobis, præveniens vos in benedictionibus dulcedinis, fenerantibus sibi multiplices restituit usuras in benedictionibus beatitudinis.

3. Ego tamen vereor, fratres mei, ne forte hæc tempora teporis et infidelitatis tangat illa querela Domini: *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam (Jerem. xv, 10)*; quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur; promittitur merces operi, et vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fenerat, cum talenta servis partiens, scientiam verbi vel gratiam cujuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fenerat jucundus homo qui miseretur et commodat, dicente Scriptura: *Feneratur Domino, qui misericordiam facit proximo (Prov. xix, 17)*. Imo Domino feneratur quicumque spe divinæ retributionis aliquid operatur, ut dicere possit: *Scio cui credidi (II Tim. i, 12)*, scio qui dixit: *Si quid erogaveris, cum rediero reddam tibi (Luc. x, 35)*. Nos autem aut nihil aut ita timide gelideque feneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat unde reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ, cum eum pauperem sedentem super asellum, et ipsum non suum, cerneret, omni tamen securitate ac devotione fenerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, sed et se totam, quantum poterat, honori ejus impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum et pauperem; quippe cui propheta signum dederat intelligendi Salvatorem, ipsam qua superbis viluit, paupertatem. *Ipsæ, inquit, pauper, et ascendens super asinum (Zach. ix, 9)*. Hoc, inquit, signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cujus regnum non est de hoc mundo, quia scilicet, ad debellandam superbiam quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem evangelizabit sicut verbo sic etiam exemplo.

4. Beata itaque filia Sion, quæ humilitatem tanquam armaturam celestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater ejus infidelis illa Sion, quæ cum humilem vidit, fastidivit, cum honoratum vidit, invidit. Beata, inquam, Ecclesia primitivorum, quæ tam fideliter agnovit, tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini; infelix Synagoga perfidorum, quæ, venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui Patris gloriam quærebat cruciabat honorē. *Inrepa, inquit, discipulos tuos; quasi*

scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dico, inquit, vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt (Luc. xix, 39, 40)*; quia Deus laudem meam non tacebit. Prorsus ita est: si tacuerint, lapides clamabunt; quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamaverunt, dum in testimonium et laudem morientis, petreæ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth. xxvii, 51, 52*). Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, juxta illud: *Nocte tacere feci matrem tuam (Ose. iv, 5)*, elamat vivis ex lapidibus Gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitavit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate, inquit propheta, habitatores petreæ, de vertice montium clamabunt (Isai. xlii, 41)*. Ecce hodie in foraminibus petreæ, in cavernis maerentiæ vox columbæ resonat, clamantis et dicentis: *Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini (Matth. xxi, 9)*.

5. Benedictus qui, ut nidificare possem in foraminibus petreæ, manus, pedes et latus perforari sibi tulit, et se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, et protegar in abscondito tabernaculi sui. Opportunum quidem petra refugium erinacis, sed et habitatio grata columbis, cujus foramina tot **997** vulneribus toto fere corpore patentia, et veniam offerunt reis, et gratiam conferunt justis. Imo vero tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis a facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque et amore Crucifixi, animam ab æsta carnis, a turbine sæculi, ab impetu diaboli contutari. Super omnem gloriam mundi protectio hujus tabernaculi, videlicet in umbraculo diei ab æstu, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia, ut per diem sol non urat te prosperitate, nec turbo moveat in tempestate. *Ingrede igitur in petram, o homo, abscondere in fossa humo (Isai. n, 10)*, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus et homo; ipse petra forata, humus fossa, quia *foderunt manus meas, inquit, et pedes meos (Psal. xxi, 17)*, *Abscondere, inquit, in fossa humo a facie timoris Domini (Isai. ii, 10)*: hoc est, ab ipso fuge ad ipsum, a judice ad redemptorem, a tribunali ad crucem, a justo ad misericordem; ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui; ab eo qui spiritu laborum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum vivificat extinctum. Quinimo non ad ipsum tantum, sed in ipsum abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ salvandis a facie diluvii? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius et misericors aperuit, ut erueret te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti et libero meatu aspiret. Ibi tuto latebis, donec trans-

eat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat charitas; ibi deliciis afflues, ibi gaudiis superefflues; vel tunc demum cum a vita capitis tua et omnium membrorum corporis ejus absorpta fuerit mortalitas.

6. Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quam grata ad nidificandum paravere foramina, laudes ipsius utique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petreæ vox suavis in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis, fratres mei, qui tanto interius

## DE RESURRECTIONE DOMINI.

## SERMO I.

*Pulchre verba Jacob de Joseph applicantur ad resurrectionem Christi.*

1. *Nuntiaverunt Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quo audito, revixit spiritus ejus, et ait: Sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit. Vadam et videbo eum antequam moriar. (Gen. xlv, 26, 28)*. Dicetis forsitan, mihi, Bene; sed quid ad rem? quid de Joseph ad gaudium hujus diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, et tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparavit jejunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Jesu, Jesum desideramus; sed nondum meremur ipsum videre vel de ipso audire, Jesum, non Joseph esurimus; Salvatore, non somniatorem; dominatorem cœli, non Ægypti; non qui pavit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adjuvet sermo tuus, ut, quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur. (Matth. v, 6)*. Cum audimus, magis esurimus. Nam et qui epulas commendat, famem irritat. Si de Jesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium et lætitia, et exsultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione et luctu, magis autem **998** dolore passionis ejus; sed exsultabunt nuntio resurrectionis ejus. Cur ergo tuum Joseph nobis ingeris, cum præter Jesum, quidquid loquaris non sapiat nobis: præsertim hodie, cum paschalis agnus comeditur, dum Pascha nostrum immolatus est Christus?

2. Ovum sive nucem apposui vobis, fratres; frange testam, et invenietis eseam. Joseph disentiatur, et Jesus invenietur agnus paschalis, quem esuritis; qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, et studiosius queritur, et difficilius invenitur. Dicetis mihi: Quid Joseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diem istum? Multum per omnem modum. Historiam recordamini, et ultro se e vobis revelabit pietas mysterii, si modo Jesum interpretem habeatis, qui, hodieque resurgens, de occidente littera loquitur suis in via, et aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis et Prophetis manifestius aut signantius quam Joseph figu-

ram exprimit Salvatoris? Et, ut breviter summam perstringam, secundum illud: *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia (Prov. ix, 9)*, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis ejus, deinde quod præ cæteris fratribus *pulchra facie et decorus aspectu (Gen. xxxix, 6)*, quod innocens actu, prudens intellectu, quod venditus a suis, suos a morte redemit, quod prius humiliatus usque ad ergastulum, et sic exaltatus usque ad solium, quod denique pro merito operis sui novo nomine appellatus est inter gentes *Salvator mundi (Gen. xli, 45)*; si hæc omnia, inquam, pie ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus quam vere sit a Domino dictum: *In manibus Prophetarum assimilatus sum? (Ose. xii, 10)*.

3. Jam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem et gaudium movebunt; quod videlicet tam evidentè resurrectionis Christi testificata sit a Lege et Prophetis, et historia vestri tam proprie nova sacramenta loquatur, ut, cum prophetia legitur, pene Evangelium mutatis duntaxat nominibus audiri videatur. *Nuntiaverunt, inquit, Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quid aliud hic intelligere possum, nisi, Nuntiaverunt Apostolis dicentes: Jesus vivit? Jacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo; nec absurde, ut arbitror; non solum quia de Jacob orti sunt, non solum quia de Jacob Israel facti sunt, cum de luctu activæ ad visionem et requiem contemplativæ transierunt; sed etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est verorum Israelitarum, sicut ille carnalium. Si cut ille, sic isti, suum Joseph cum putarent perisse, inconsolabiliter doluerunt; cum audissent vivere, difficulter et tarde crediderunt; cum cognovissent, ineffabiliter gavisi sunt. *Nuntiaverunt, inquit, Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebatur eis (Gen. xlv, 26)*. Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Evangelio legitur scriptum: *Ille vadens, haud dubium quin Maria Magdalene, nuntiavit his qui cum ea fuerant lugentibus et flentibus; et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc ostensus est duobus in via, et illi ex-**